

## Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

### Tekst oficjalny

*Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque*, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 182v

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 47 [Gn. 40]

[47] De possessione bonorum hereditariorum ad iudicium delato.

Conqueritur vir super alterum pro bonis, quod vera sua hereditas sit, et quod ille teneat cum iniuria, et sua vera sit successio a patre suo, vel ab alio suo agnato, aut a suo predecessore, et si ille conparet super quem querela proposita fuerit, et dicit se habere bonorum illorum defensorem, eo quod bona possederit pacifice et quiete anno et die, contradictione qualibet non obstante et est iuste ac rite meum premium censuale, ipsum oportet suum defensorem nominare. Si autem sibi defectus fuerit in defensore, actor conservat suam legalem proprietatem in eisdem bonis, quia quivis homo conservat suam innatam hereditatem, facilius quam alter emptam proprietatem, aut obligatam, aut premium censuale, cum impossibile est aliquem de naturali portione defraudari.

[hasła: skarga, nieruchomości, dziedzictwo, spadek, ojciec, krewny po mieczu, spadkodawca, spokojne posiadanie, świadek, rok i jeden dzień, termin, prawo naturalne]